BENEDICTI MASTIANII I.C. DE BELLO BALEARICO COMMENTARIOLUM EX CODICE MS...

Benedetto Mastiani, Domenico Moreni

BENEDICTI MASTIANII I. C.
DE BELLO BALEARICO
COMMENTARIOLVM

EX CODICE MS. MAGLIABECHIANO

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVM

NOTISQVE ILLVSTRATVM

A DOMINICO MORENIO

LAVRENTIANAE BASILICAE

CANONICO.



FLORENTIAE MDCCCX.

IN TYPOGRAPHIA APVD VICVM OMNIVM SANCTORVM

Perspectum plane cuique est, et exploratum, Pisanos olim re bellica, et maritimis, terrestribusque copiis, et expeditionibus, ceteris omnibus Etruriae populis longissime praestitisse.

Alexander Politus *Oration.* De Laudibus Acad. Pisan.

VIRO CLARISSIMO

RAYNERIO TEMPESTIO

CIVI PISANO

DOMINICVS MORENIVS

SALVTEM

Quum Tua summa laus sit, Rayneri optime, ac praestantissime, res Pisanorum, nonnullosque Patriae Tuae magni nominis Viros ita Te luculenter illustrasse, ut quae antea, aut ignota, aut incerta habebantur, ea ab omni obscuritate vindicaveris: non erit profecto quod mihi succenseas, si Commentariolum hoc de Bello Ba-

learico a Pisanis Saeculo XII. ine
te contra Saracenos fortissime ges
Tibi, utpote Historico Patriae T
diligentissimo inscribere audeam. A
cipe igitur libenti animo hoc qua
cumque munusculum in grati erga
animi mei, et amicitiae tesseram;
fruere, ut facis, amoenissimo Cres
nano tuo, quo ob aeris salubritat
maxime delectaris; ut ad bonum
terarum, maioremque Pisarum ur
gloriam, et celebritatem, ea quae
pluribus annis multo labore, mul
que vigiliis incoepisti, tranquill
prosequaris, atque perficias. Vale

Dabam Florentiae VII. Kalend
Maias, An. MDCCC-X.

LECTORI BENEVOLO
DOMINICVS MORENIVS
FELICITATEM.

Pisarum urbem amplitudine, divitiis, summorum virorum copia, ac praecipue imperio sibi in Europa, Asia, atque Africa comparato Etruriae olim facile principem fuisse nullus ignorat, qui Scriptores nostros, et exteros, tum antiquos, tum nobis propiores vel leviter perlegerit. Et quamquam identidem varietates, fortunasque vicissitudines, ut rebus humanis usuvenit, passa sit, semper tamen inter Italiae primores civitates, procertim ob Academiae celebritatem, et gloriam ad nostram usque aetatem merito habita est. Quantum sane Pisani re bellica, ac maritimis, terrestribusque copiis, et expeditionibus ceteris Etruriae populis quondam praestiterint, complura bella ab ipsis feliciter confecta demonstrant, e quibus Balearicum illud modo mihi commemorare liceat, quod Saeculo XII. ineunte contra Saracenos Balearibus insulis dominantes ipsi fortiter, prospereque gesserunt. Lau-

rentius Varnensis Pisanae Ecclesiae Diaconus, poeta pro aevi sui conditione non ignobilis, praelium istud heroico carmine primus descripsit; ipse enim una cum Petro Moriconio Pisano Pontifice illi interfuit. Hoc opus septem libris comprehensum ab Ughellio primum in Opere cui titulus: Italia Sacra, *ad calcem Pisanorum Praesulum publici iuris factum fuit, iterumque emendatius vulgavit Ludovicus Muratorius in Volumine VI.* Rerum Ital. Script. *pag.* 112.-162. *De hoc poemate, eiusque auctore sic Tiraboschius in T. III. Lib. IV. pag.* 30. *Operis inscripti*: Istoria Letteraria dell' Italia, *loquitur*: Egli non è certo un Virgilio, ma è assai migliore degli altri poeti di questa età, e alcuni versi possono sembrare degni di miglior secolo (1). *Eodem etiam tempore Pandulphus Pisanus*, Sacrae paginae doctor *iuxta Guilielmum Eisengrein Spirensem* in Catalog. Testimon. Verit. *anno* 1184., Presbyter Cardinalis,

(1) Laurentium fuisse *Veronensem*, seu *de Verna* credat Muratorius, non ego, nam pluribus in locis sui Poematis non obscure Pisanum se esse testatur. Ex Stirpe *Varnensi*, Genealogiae Pisanorum Scriptoribus non ignota, ortum habuisse videtur.

vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex, et orator eloquens, historicus celeberrimus, nec ulli Theologorum secundus, *statuit* suo loco, et tempore, *ut eiusdem Pandulphi verbis utar*, digno volumine comprehendere historiam Belli Balearici, et quid egregia Pisanorum industria, et admirabilis pertinacia Balearibus Insulis Aeffixae, et Maioricae tulerit etc. *ut patet ex Vita Paschalis II. Sum. Pont. ab ipsomet conscripta, et a Muratorio in T. III. P. I. pag. 357. praedicti operis edita; an autem promissum impleverit adhuc est incompertum.*

Alia denique Belli huius historia hucusque inedita delitescebat duos in libros divisa, quam Benedictus Mastianius (1) *Pisanus, in patria Vniversitate per decem annos medio circiter Saeculo XVI. Iuris Civilis interpres, contexuit. Haec exstat in Bibliotheca Magliabechiana in Cod.* 89. *chartac. in fol. Class. XXV. Quum vero paucis ab hinc annis aliud historiae huius*

(1) In Codicibus quidem est *Maschianius*, sed a Scriptoribus Pisanis dicitur *Mastianius*, uti et nos edidimus.

exemplar MS. a Pat. Antonio Nicolao Cianellio Lucensi, ibidemque Aedis Clericorum Regularium Matris Dei Curione, mirae eruditionis viro, mihique a pluribus annis familiarissimo, dono accepissem, illud statim cum Magliabechiano Codice conferre coepi, varietatesque nonnullas offendi, non magni quidem momenti, quae omnes ad paginarum calcem adnotantur. Quod vero ad opusculi huius dotes, et pretium attinet, fatendum quidem est eius auctorem stilo interdum aliquanto demisso usum esse, id tamen non me ab eo vulgando detinuit, eo quod celebris Etruriae populi memorabile factum contineat.

Haec te monitum volebam, amice Lector, et vale.

BENEDICTI MASTIANII I. C.

DE BELLO BALEARICO

A PISANIS GESTO

LIBRI II



Quum essem legendi munere, quod annos decem obivi (1), et forensibus negotiis aliquando liber, nihil potius habui, quam animum ad scribendum intendere; neque tamen consilium fuit in Iure civili commentarios edere, quibus omnia usque adeo referta sunt, ut humano generi melius consultum existimaverim, si quae a Iurisconsultis recentioribus traduntur, de medio sublata forent. Exoptabam ea, quae

(1) De Mastiano haec tantum profert Fabronius in *Histor. Acad. Pisan.* T. I. pag. 279 *Quum is ab anno MDXIX ad annum usque MDXXXV in Patria ius docuisset, et exercuisset, etiam civitatis, ut loquebantur, Advocatus, decus non mediocre addidisse videtur familiae multis nominibus clarae.*

maiores nostri magnifice gesserunt, mandare literis; verum pleraque non erant memoriae prodita, quaedam negligentia Civium interiere (1), et multa ab aemulis, et inimicis non sine caussa de medio sublata fuere. Pauca vero, quae prae manibus habemus, ita succincte, et confuse composita sunt, ut in ordinem historiae redigi non possint. Bellum Balearicum (2) integrum offendi, sed parum latine scriptum, adeoque obscure, ut viris etiam eruditis vix obvium, satisque cognitum habeatur (3). Illud ego, quantum in me

(1) In Codice Magliab. desunt verba, *et multa . . sublata fuere*.

(2) Vghellius in *Archiep Pisanis* pag 428. et seqq non uno in loco *Boreales Insulas* a Pisanis expugnatas, ac Pisanae Reipublicae a Gelasio II Pont Max concessas scribit. *Baleares Insulas* scribendum illi fuit, ne Mediterranei maris Insulas in Balticum miranda mutatione transferret

(3) *Quae* fuerit haec historia prorsus mihi ignotum est. Non Laurentii Varnensis Poema, cui minime tribui possunt haec verba. *parum latine scriptum, adeoque obscure* nc. quum ex laudato Tiraboschio, *egli*, idest Laurentius, *non è certo un Virgilio, ma è assai migliore degli altri Poeti di questa età, e alcuni versi possono sembrare de-*

fuit, diligenter illustravi, quibusdam etiam additis ex probatis auctoribus; quod eo libentius factum est, ut ex eo bello coniecturis accipiamus, quam clare Pisanorum gloria enitesceret, si quae terra, marique gessere, literarum monumentis consecrata forent (1).

Pisas inter Arnum, et Auserim sitas Plinius tradit, ortasque a Pelope; hodie vero Arnus eas interluit medias, ex quo facillime crediderim tempore Plinii Arnum alium cursum tenuisse, conjecturamque capio ex verbis Stra-

gni di miglior Secolo. Forsan historia Bernardi Marangonii fuit, Rerum Pisanarum scriptoris pervetusti, cuius italica versio exstat in Vol. 1 *Rer. Ital. Script.* pag. 307 et ei a Mannio tribuitur; de qua videre est Vol. II mei operis inscripti. *Bibliografia Istorico ragionata della Toscana* pag. 35.

(1) Ad calcem *Historiae militaris Pisanae* Cl. Io. Bapt. Fanucci Pisis editae anno MDCCLXXXVIII omnes expeditiones a Pisanis terra, marique peractae a saeculo VI exeunte usque ad XIV referuntur, ex quibus ut *Maris Domini* vocarentur, et essent, promeriti sunt, sicque a Ioanne Florentino in *Vita Simonis Saltarelli* Archiep. Pisani, a Scipione Ammirato in Lib. XVII *Hist. Flor.*, et ab Io. Villanio in Lib. VII. Cap. LXXXII nuncupantur

bonis, qui scribit Arnum, et Aesarem in unum alveum confluentes mutuo impetu tolli, ut qui in amborum ripis existent, conspicere se nequeant, quod hodie nullibi apparet (1). Quidam etiam existimant Pisas a Pelope ipso aedificatas; sed longe aliter credendum: nam Pelops ex Phrygia in Graeciam veniens, Oenomai filiam uxorem duxit, ibique sedes locavit, et Peloponneso nomen indidit. Plinius autem ortas ducit a Pelope, quia aedificatae sunt a Populis Peloponnesi (2); astipulatur et Strabo, qui Pisas conditas ait ab his Pisanis, qui ex Peloponneso cum Nestore adversus Ilium militarunt, quo-

(1) Quo primum tempore duo haec flumina distinctis alveis in mare defluere coeperint, adhuc incompertum est Rutilius Numatianus, qui Saeculo V. a Christo nato floruit, describens in *Itinerario* suum Pisas adventum, ait:

Alpheae veterem contemplor originis urbem,
 Quam cingunt geminis Arnus, et Aesar aquis.
Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt,
 Intratur modico frons patefacta solo
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
 Et pontum solus scilicet Arnus adit.

(2) In Cod meo habetur *a Populo Peloponnesi*.

rum nonnulli Metapontum, alii agrum tenuerunt Pisanum. Nec aliter sentit Dionysius Halicarnasseus, qui Pisas scribit a Pelasgis conditas, idest a Populis Peloponnesi; nam Pelasgi Peloponnesum tenuerunt, a quibus et *Pelasgia* dicta est (1).

(1) Virgilius Lib. X. *Aeneidum*:

Hos parere iubent Alpheae ab origine Pisae,
Vrbs Etrusca solo.

Ad quae verba sic adnotat Servius: *Alpheus fluvius est inter Pisas, et Elidem Civitates Achaiae, ubi est Templum Iovis Olympii, ex quibus locis venerunt qui Pisas in Italia condiderunt, appellatas a Civitate pristina.* Strabo Lib. V. pag. 154 scribit *Pisas aedificatas fuisse a Pisaeis, qui cum Nestore ad Troiam profecti in reditu navigantes electi sunt, alii ad Metapontum, alii ad Agrum Pisanum, quum universi Pilii dicerentur.* Rutilius etiam Numatianus quem modo citavimus:

Alpheae veterem contemplar originis Vrbem,
Quam cingunt geminis Arnus, et Aesar aquis.

Et paullo post:

Ante diu quam Troiugenas fortuna Penates
Laurentinorum Regibus insereret,
Elide deductas suscepit Etruria Pisas,
Nominis indicio testificata genus.

Pisae bis floruere (1), primo ante Romam conditam, eo tempore, quo Aeneae opem tulerunt duce Asyla, qui bello strenuus erat, et augur egregius teste Virgilio (2). Secundo maxime claruere anno MC. Pisani autem natura gignuntur ad arma, nam et Strabo scribit eos belli gloria excellere. Civitas haec ornatur montibus altis, et

Alii tandem Pisarum primordia in Teuthanos Graecam gentem retulere. Vtcumque res se habeat, in confesso apud omnes est Civitatem illam iure merito esse inter vetustissimas, celeberrimasque annumerandam. Aliorum opiniones refert Clariss. Noris Cap. I. Dissertationis primae sui Operis inscripti: *Cenotaphio Pisano illustrata*.

(1) Res a Pisanis gestae antequam in Romanorum potestatem venerint, in obscuro latent. Strabo Lib. V. scribit. *Videtur ea Vrbs floruisse, ac ne nunc quidem ignobilis est ob fertilitatem, et lapidicinas, et navalem materiam, qua olim usi sunt ad maritima praelia*. Annus quoque, in quo ipsi Romanorum Imperio additi sunt, ignoratur, altera Titi Livii decade deperdita.

(2) Pisana civitas Aeneae mille bellatores in societatem dedit, ut ipse Virgilius Lib. X *Aeneid.* testatur:

Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis
Hos parere iubent Alpheae ab origine Pisae,
Vrbs Etrusca solo.

amoenis, planities lata est, et frugum feracissima, colles vite, et olea vestiuntur, ora quoque maritima frumenti, pabulique copia, et pecore abundat; accedit et Portus, *Liburnus* a Ptolomaeo vocatus, Cicerone autem *Labro*. Itaque facile credendum est Adrianum (1) Imperatorem loci amoenitate captum plurima aedificia excitasse, quorum vestigia adhuc cernuntur (2). Censetur et claris ingeniis, Bulgaro antiquo Iuris interprete, qui egregia Commentaria edidit in Ius Civile, Francisco Ti-

(1) In meo Cod. *Neronem* pro *Adrianum*.

(2) Inter vestigia, quae supersunt, numerantur Templum, et Thermae ab Adriano conditae. Harum ruinae adhuc visuntur ad Portam Lucensem, ex quibus vasta earundem moles arguitur; praesertim quum in vicinis hortis illarum fundamenta admirabilis artificii ad turrim maioris Aedis usque ducantur. Hae quidem subtus terram latent; verum unicum balneorum hypocauston adhuc integrum superest, quod olim Franciscus Robortellus quaestionibus contra celeberrimos suae aetatis Scriptores ultro susceptis famosus, ac postea Franciscus Coffinius, datis ad viros doctissimos literis, quas Io. Rhodius suis in Scribonium Largum Commentariis inseruit, descripserunt. Hoc Hypocauston octagona forma constructum est, altum pedes Romanos xxxi, ac dimidium, longum vero pedes xxxiv. itidem cum dimidio

grino Baldi praeceptore, qui Bartolo usus est admodum familiariter; praeterea Andrea Zacci, et Ioanne Fasceoli; postremo Benedicto Pepulinense, sive de Plumbino, ut vulgo dicunt (1), et aliis quamplurimis in omni facultate, et scientia celeberrimis (2).

(1) Horum, aliorumque plurium Pisanorum fama illustrium Vitae impulsu Angeli Franceschi Pisani Praesulis a pluribus Viris Clarissimis conscriptae fuerunt, et in IV Voluminibus editae, ut impudentissimi cuiusdam viri os obstrueretur effutientis Pisas fuisse, et esse *Boeotiam Italiae*. Vtinam hoc opus vel post mortem praedicti Antistitis continuaretur, ut quantum Pisani bonas litteras, artesque ingenuas coluerint, fuverintque, magis magisque innotesceret.

(2) Verba *et aliis* etc. desunt in Cod Magliab, qui post *Fasceoli* addit *postremo*, quae vox in meo desideratur.

BENEDICTI MASTIANII I. C.

DE BELLO BALEARICO (1)

A PISANIS GESTO

LIBER I.

Res gestas Populi Pisani cum Regibus Balearicis scripturus sum, procul dubio memoratu dignas; etenim bellum durum fuit, et arduum, in quo Pisani famem, sitimque, praeterea naufragia, et alia adversa tolerarunt; adeo-

(1) *Baleares* sunt insulae Maris Mediterranei ab Hispania distantes vix septuaginta milliaribus, et inter se 25 millia passuum distisae. Maior, quae *Maiorica* dicitur, urbem habet cognominem, amplam, et munitam, et habet in circuitu 140. millia passuum; minor vero, quae *Minorica*, vix 50. millia passuum in circuitu complectitur. Omnes Historici, inter quos Porcacchius noster in Opere inscripto *L' Isole più famose del Mondo*, narrant, quod Baleares olim adeo leporibus abondabant, ut contra eos edentes segetes ab Augusto auxilium militare Maioricenses postulaverint.

que anceps, ut victi victoriae propiores fuerint. Eius autem expeditionis caussa fuit, quod Nazaradeus Maioricae Rex licet eunuchus, bellator tamen acerrimus, non solum mare Tyrrhenum depraedabatur, sed etiam Hispaniae, Galliaeque usque ad Graecorum regiones haud mediocrem terrorem incusserat, Christianorumque captivorum ad triginta millia in insulam traxerat, quos catenis, et tormentis asperrime cruciabat. Itaque Pisani, qui olim captum Carthaginis Regem ad Summum Pontificem duxere (1), Africamque (2) tributo subiecere, Hierosolymamque a manibus Gentium ademerunt, et urbem situ, mirisque plenam aedificiis exornarunt, ibique Regem

(1) Ammiratus *Historiae Florent.* Lib. 1. Pisanorum magnanimitatem commendat *e quel che fu atto di singolarissima magnanimità, avendo* (i Pisani nel 1030) *con lotto il Re di Cartagine prigione a Roma, reso ch' egli si fu Cristiano, il lasciarono tornarsene libero a casa sua.*

(2) Hic pro Africa non intelligitur tertia Mundi pars, sed ea civitas Barbariae in Regno Tuneti posita, quae a Geographis *Adrumetum* appellatur, quod, Hugone Vicecontio Pisano Duce, anno MLXXXVIII fuit expugnatum.

creaverunt (1), memores praeclarorum facinorum decrevere huic bello veluti extremam manum imponere.

Principio igitur duodecim viros primarios cooptarunt belli praefectos, quos

(1) *Anno* MC, sic in Historia Pisana apud Muratorium Rer Ital Script T VI pag 100, *Pisanus Populus in navibus centumviginti ad liberandam Hierusalem de manibus Paganorum profectus est, quorum rector, et ductor Daibertus Pisanae urbis Archiepiscopus extitit, qui postea Hierosolymis factus Patriarcha remansit Proficiscendo Leucatam, et Cephaloniam urbes fortissimas expugnantes expoliaverunt, quoniam Hierosolymitanum iter impedire consueverunt In eodem autem itinere Pisanus exercitus Maidam urbem fortissimam cepit, et Laudociam cum Boemundo, et Gibellum cum ipso, et Raymundo Comite S Aegidii obsedit Inde igitur digressi venerunt Hierosolymam quae anno millesimo centesimo a Christianis facta fuit, et retenta fuit, ibique Pisani morantes per aliquantum temporis, et inopem urbem reaedificantes ad propria regressi sunt* In altera Historia apud eumdem loc. cit. pag 168 habetur: *cuius victoriae Pisanus populus fuit et caput, et causa* Nam iussu Papae Vrbani II Daibertus Pisanae urbis Episcopus, deinde Archiepiscopus, extitit dominator, et rector exercitus Pisanorum scilicet 120 navium Qui Daibertus iam declaratus Pisanus Archiepiscopus, factus deinde Patriarcha in Hierosolyma remansit. Haec forsitan est victoria, qua maxime claruere Pisani anno MC, ut superius Auctor noster indefinite asseruit

consules, et militiae duces appellarunt; hos scilicet, Gherardum Gherardi filium virum prudentissimum, et oratorem eximium, Gherardum item alterum Hugonis de Gualandis (1), Heritonem, et Henricum (2), Ildebrandum Rolando genitum, virum bello strenuum, praeterea sapientia, et nobili-

(1) Voces *de Gualandis* desunt in Magliab. Cod. Troncius in *Historia Pisana* pag 44. horum cuique Consulum cognomen tribuit, quem vide si libet

(2) An insequens Epigramma in laudem cujusdam Henrici Consulis viri bello clarissimi in marmore Pario sculptum, et in externo Primatialis Aedis Pisanae pariete situm, ad nostrum Consulem Henricum spectet, adhuc incompertum est; quum nullus in eo sit annus expressus, unde nostro, aut alii tribui possit.

Quam sequeris belli fortuna laude sequaris
  Romam Pisa tui Consulis egregii.
Claruit Henricus dic dic virtutibus altis,
  Nomen eujus erit semper in ore meis (*sic*)
Hic tibi nempe Cato fuit, Hector, Tullius alter,
  Mente manu lingua par tribus unus homo.
Fabricius castis spravit temporibus olim
  Munera, contempsit hic et in orbe levi.
Regulus iste tibi captus tua bella gerendo
  Blanda minas mortem spernere forra pati
Praeposuit pro te mutsus non vivere perdens
  Clauditur hic mundi climata corde tenens

tate conspicuum, Lotharium, et Dodonem, Petrum, et Azonem eloquentia clarum, Rodulphum, Lambertumque, et Robertum. Facta electione, Legatos cum Pisano Episcopo (1), ad Summum

(1) Hic pro Episcopo dicendum erat *Archiepiscopo*, quia iamdudum Vrbanus II Sum. Pont. Pisanam Ecclesiam ad Metropoliticam dignitatem evexerat, et Daimbertum Petri proximum antecessorem Archiepiscopali Pallio, et potestate decoraverat, ut constat ex instrumento Ann. MXCIV apud Muratorium T. III *Antiquit. med. Aevi* col. 1099., in quo dictus Daimbertus vocatur *gratia Dei Metropolis Pisanae Civitatis Archiepiscopus*, et ita in aliis pluribus a Matthaeio productis, quare hallucinatur Petrus Diaconus *in Chronico Monasterii Casinensis* Lib. IV. Cap. LXIV. apud Muratorium T. IV. *Rer. Ital. Script.* pag. 534 asserens Gelasium II omnium primum Pisis Archiepiscopum instituisse, et *Annalium Pisanorum* Collector apud Vghellium T. X col. 101, qui narrat memoratum Pontificem illa dignitate Ecclesiam Pisanam exornasse, ut Pisanos cives remuneraretur, qui Saracenos ex Insulis Balearibus expulerant: *Gelasius II Papa*, inquit, *in retributione tanti doni, quod Pisani Romanae Ecclesiae, et toti mundo de Maioricana victoria fecerant, Pisas venit, et consecravit maiorem novam Ecclesiam Pisanorum, ac concessit Archiepiscopatum Civitati Pisanae, et dedit, quia usque tunc tantum Episcopus erat* Idem sentit Sozomenus in *Chronico* apud Muratorium loc. cit. T. I col. 38. edit. *Flor.* Petrum Daimberti proximum successorem Archiepiscopi

Pontificem mittunt, quos Papa nomine Paschalis II. summo in honore habuit, Pisanoque Praesuli Crucem dedit, et Azoni uni ex militiae ducibus Romana Signa (1); praeterea omnibus ad bellum euntibus peccatorum veniam indulget. Postremo Legatos hortatur, et obsecrat, ut quam celerrime properent ad expeditionem; qui confecto negocio in patriam rediere, populoque exposuere, quae Romae gesserant, quibus Civitas Pisana miro gaudio afficitur, Deoque Optimo Maximo gratias agit.

titulo usum esse constat ex Instrumentis anni MCIX MCX et MCXV confectis et a Muratorio vulgatis in T III *Antiquitat Medii Aevi* col 1111 et seqq, ex quibus quantum a veritate aberrent Scriptores *Annalium Camaldulensium*, viri alioquin doctissimi, affirmantes T III Lib XXVI pag 177 quod *in omnibus chartulis, privilegiis, et monumentis Archivii Pisani Archiepiscopatus Petrus noster* (quia antea Camaldulensis) *semper se Episcopum Pisanum nominat, numquam Archiepiscopum, nisi ab anno millesimo centesimo decimo octavo*, satis aperte apparet

(1) Auctor Historiae Pisanae apud Muratorium T VI Col 169 ait *Pontifex, quando Pisani venerunt Maioricam, suis manibus Pisanis dedit vexillum vermileum, unde ex tunc Pisana civitas vermileo utitur ubique vexillo*.

Placuit etiam Pisano Praesuli Ianuenses tentare, ut se se socios adderent, qui laeta fronte promiserunt opem ferre, sed anni spatium petierunt, ut expeditionem morarentur (1): comperta demum fraude, praeparatis bello necessariis, Consules se bello accinxerunt oramque solverunt cum tercentis navibus (2) die Divi Xyxti, qui alia tem-

(1) Sic Laurentius Varoensis in suo Poemate

Tertia vox Genuam placidos moderata rogatus
Praesulis invitat. Spondet solatia pugnae,
Sed longas, nimiasque moras, annalia donec
Tempora praeterant, fraudis sub tegmine poscit
Pisam didicere patres fraudemque, dolumque,
Et tandem patuere doli: retinacula solvens
Navita Pisanam sua vela retorent ad urbem.

(2) Tractu temporis quingentas fuisse testatur idem Laurentius Varnensis his verbis:

Quingentas numerarunt scripta carinas.
Praesul Pisanus, quam maxima cura trahebat
Mox ad captivas acies perducere fratres,
Vela dedit pelago primus, transitque Saladon.

Alio in loco varias Pisanarum navium species ita describit:

Gatti, Drumones, Garabi, celeresque Galeae,
Barcae, Currabii, Lintres, grandesque Sagiteae,

pestate Pisano populo faustus, felixque fuit. Nam eo die Pisani ter victores fue-

Et plures aliae variantes nomina naves:
His portantur equi: sunt quaedam victibus aptae,
Ingentes aliae possunt portare catervas.

In navium constructione plurimum pollebant Pisani, eo quod ad hoc bina Collegia Pisis essent, ut constat ex marmore pervetusto a Norisio in *Cenotaphiis Pisanis* pag 26, et a Gorio *Inscript* T. II pag 24 relato, unum *Fabrum Navalium Pisanae stationis vetustissimae*, alterum *Fabrum Tignariorum Pisarum*. Chronica Senensis apud Muratorium T. XV col 192 describens naves Venetas, Neapolitanas, Pisanas, ac Genuenses, quibus Urbanus V Sum Pont ex Avenione Romam vectus fuit anno 1367 haec ait: *quelle de' Pisani erano di maggior virtu, imperocchè ne cammino più volte, e fenne la pruova.* Iam a pluribus annis in suo Poemate Laurentius Varnensis dixerat:

Sic Pisana manus rapidis aquilonibus usa.

In litiore maris, quod tunc temporis vastissimum erat, Pisani naves maiores construebant, ut videre est in variis Imperatorum diplomatibus, in quibus saepe saepius legitur: *Damus vobis in feudum littus maris etc. ut libere Pisani in eo facere naves, et galeas, et exercere suas mercationes possint*. Minores vero in loco dicto a *Bocca d' Arno*; et adhuc rudera visuntur antiqui Navalis, in cuius fronte legitur insequens inscriptio:

runt; Africam enim sub iugum misere, Musactumque Maioricae Regem superarunt, tertio Genuenses fuserunt, fugaruntque (1). Recedentem vero clas-

Ferd M Mag D Etr III
Vetustate Corruens Navale
Pisanorum Ad Militares Equos Alendos
Non Dissimilem In Usum Reparavit 1589.

Laurentius a Varna loca describit, ex quibus arbores ad efformandam classem contra Baleares insulas caedebantur:

Quidquid tunc habuit nemorum Corsica ligni,
Aut picis, innumeros ratium defertur ad usus,
Lunensesque suo privantur robore silvae.
Arboribus caesis remanet Curvaria rara
Antennas, quae vela ferant, quod gestet easdem
Arboreum robur, celsae tribuere Mucrilae

(1) Auctor anonymus Historiae Pisanae apud Muratorium T VI ad rem nostram haec scribit: *Anno MLXXXVIII simul* (cum Genuensibus) *stolum fecerunt in Africam, et ceperunt duas magnificas civitates Alamandiam, et Sibiliam die S Sixti, ex quibus civitatibus Saracenis fere omnibus interfectis, maximam praedam auri, argenti, palliorum, et ornamentorum abstulerant; de qua praeda thesaurus Pisanae Ecclesiae in diversis ornamentis amplificaverunt, et Ecclesiam S Sixti in Curia veteri aedificaverunt* Alexander Da Morrona T III Operis inscripti *Pisa illustrata* pag 021 Aedem Sancto Xysto sacram credit fuisse aedificatam anno 1070, ibique percenset victorias a Pisanis relatas prae-

sem patres lacrymis prosequebantur, matresque ululatis, et lamentis (1): naves autem in faucibus Arni substiterunt, adeo ut necesse fuerit eos exonerare; omen, ut opinor, futurarum (2) ac-

dicta die, anno 1006 apud Rhegium Iulii, anno 1070 contra Genuenses, an 1088 contra Saracenos in Africa, et anno 1119 apud Portum Veneris contra Genuenses. Ast dies eadem pro fortunae varietate maxime infesta fuit iisdem Pisanis anno 1184, in quo a Genuensibus apud Meloriam classis Pisana disiecta est, militesque aut iugulati, aut abducti sunt omnes, ac deinde iuxta Pisanos Scriptores maritima Pisarum potentia minui coepit, ut ipse Petrarcha in Itinerario ad Mediolanensem confirmat. *Pisani non modo vires aequoreas, sed animos navigandique propositum, magno victi praelio Genuensium amisere.*

(1) Laurentius quoque Vernensis:

Dumque rates abeunt, plorant in littore matres;
Plorantum lacrimis bibulae satiantur arenae,
Pectus ad usque parens vitreas descendit ad undas,
Et verbis placidis benedicit in aequore natum,
Haec pro patre rogat, pro fratribus, atque maritis
Immensos aliae fundunt in littore questus.

(2) Immo fuit omen futurae victoriae, et patriae salus. idem Troncius his verbis testatur: „ il che fu la salute di Pisa, perchè i Lucchesi non riguardando al biasimo, che si tiravano addosso, appena partita l'armata, vennero subito ostilmente contro Pisa, la quale non avendo ancora a-

rumnarum. Tandem in mare exeuntes (1) in Sardiniam deferuntur ad

scintti gli occhi per i suoi cittadini con tanto rischio partiti, fu necessitata a nuovo pianto, vedendosi in pericolo di esser sorpresa, massime, ch' era stato tutto il desiderio d' andare all' impresa di quell' Isole, che pochi abili all' armi eran rimasti. Fu però subito spedito avviso all' Armata a notificarle il travaglio della loro Città, e la mala nuova di grandissima amarezza riempì i cuori di tutti, perchè si trovavano allora i Pisani proprio tra' Scilli, e Cariddi. Gli premeva grandemente il pericolo della loro Città, nè volevano in modo alcuno permettere, che diventasse preda dei Lucchesi, e questo gli astringeva a tornarsene a dietro, dall' altra banda le spese grandi già fatte, la promessa data al Pontefice, e il timor della vergogna di non proseguire l' opera intrapresa gli sospingeva a seguire il loro viaggio „ Ast habito inter primores consilio, legatum Florentiam mittere, utbemque suam Florentinorum tutelae commendare, et in eorum amicitia fideque conquiescere decreverunt. Quo audito Lucenses terga vertentes praecipites abierunt.

(1) E Portu Pisano post Paschae solemnitatem classis profecta est. Hic portus iuxta Rutilium Numatianum *Itinerar.* Lib. II, Triturritae contiguus erat

Inde Triturritam petimus, sic villa vocatur,
Quae latet expulsis insula pene fretis. *etc*
Contiguum stupui Portum, quem fama frequentat
Pisarum emporio, divitiisque maris.
Mira loci facies, pelago pulsatur aperto *etc*

Portum, quod vulgo *Caput Album* dicebatur. Hic Duribius Calaritanus vir

Vbi civitas, seu villa Triturrita sita fuerit discrepant inter se Cluverius, Dempsterus, Holstenius, Tabula Peutingeriana, et Anonymus Ravennatensis. Quo vero anno Pisani solverint inter se Scriptores discordant. Vghellius id evenisse credit anno MCIV, Sabellicus an MCVIII, sic Volaterranus, sic Gonzalus d' Illescas in *Historia Pontificum*, Franciscus Didacus in *Historia Comitum Barcinonensium*, Porcacchius in suo *de Insulis* Tractatu, et Iacobus Bleda in Chronico *de Expugnatione Maurorum*, aliique plures anno MCXII Ricordanus Malespina *Hist Flor* Cap LXXVI, Io Villanius *Hist. Flor* Lib IV Cap XXX, quos Platina in *Vita Gelasii II Sum Pont*, Ammiratus *Hist Flor* Lib. I Part I pag 49, aliique sequuntur, scribunt Pisanos Insolas Baleares aggressos esse an MCXVII, et anno MCXVIII Ptolomaeus Lucensis in *Annalibus* pag 57, sed longe a veritate aberrant, quum certa monumenta inferius producenda ostendant expeditionem hanc fuisse susceptam anno communi MCXIII, et anno MCXIV consummatam fuisse, quod idem est ac si dicas antiquo Pisanorum more ann. MCXIV-MCXV Laurentius Vernensis sic suo Poemati finem ponit.

Tunc fuit a Christo tecto velamine carnis
Centenus quintus decimus millesimus annus.

Huic adstipulantur etiam Auctores Breviarii Historiae Pisanae, et Gestorum Triumphalium apud Muratorium T IV col. 169 et 101, qui memorant belli initium ad annum communem MXIII re-

admodum sapiens, et Saltanus manu promptus et iaculo, se socios adiungunt; Pisanus vero Praesul orationem habuit de pace, et concordia (1).

Visum est etiam operae pretium Passarinum, et Alpherolum classis praefectos eligere, quibus nautae omnes parere iubentur. Deinde copiae e portu solventes tertio post discessum die horrenda tempestate terrentur; saevienti-

ferunt, sic Matthaeius in *Historia Ecclesiae Pisanae* T I pag. 201, sic Claris. Raynerius Tempestius in Elogio Petri Moriconi pag. 18. In quo differat annus Pisanus ab anno communi videre est Claris. Philippum Brunettum in Opere inscripto: *Codice Diplomatico della Toscana*, edito an. 1806.

(1) Anno MV. a Sardis Pisana civitas occupata fuit, et ex parte diruta. Anno MXII. Pisanus Populus iuxta Roncionium cum viginti et centum navibus in Sardiniam est profectus, et ibi, ut ait Venerosius in libro, cui titulus: *Delle Imprese Militari pag.* 48.

- - - . feo dei tiranni acerbo scempio, ;
E distrutto il profano
Rito, gli Altari al vero Nume eresse.

Anno MXVII tidam tota Sardinia potiti sunt; ex qua deinde anno ML. fugati fuerunt, ideoque quum ex longo tempore inter utrosque pax non esset, Praesul Pisanus eos ad pacem, et concordiam adhortatur.

bus enim procellis naves vexabantur, plena erant omnia fragoribus, fulminibusque, et nocte tenebrosa iam iamque Pisanis trepidantibus, naufragium imminebat; et tandem maris rabies mitescere coepit, praesertim adveniente die. Pisani tamen disiecti, et errantes arctantur ad portum Gerundae, quem *Sancti Felicis* appellabant, est autem Gerunda oppidum Tarraconensis, seu citerioris Hispaniae, ubi populi Christum adorabant, nunc Cathalani vocantur. Milites nostri falso existimantes ad Insulas Baleares applicuisse, agricolas fugabant, capiebantque, agrosque ferro, atque igne vastabant (1): intellecto demum errore, tristes ad littora redeunt (2), omnia timentes. Tandem decreverunt ad Reymundum Comitem, cui Barcino (3) et plures Tarraconenses urbes parebant, Ildebrandum unum ex Consulibus legatum mittere: qui ubi Comitem adiit eleganter exposuit, qualiter Pisani Cives classem instruxere

(1) Voces *agrosque . . vastabant* desunt in Magliab. Cod.
(2) In Cod. meo *redierunt*.
(3) In praedicto meo Cod. *Barcinonenses*

contra Nazaradeum Regem Balearicum, qui ad portum Gerundae tempestate delati, in summis laboribus versantur, eumque rogat, et obtestatur, ut Pisanos miseros dignetur auxilio, et opibus iuvare. Comes autem non passus est Legatum ulterius proloqui, sed Christo gratias agit, quod exercitum Pisanum in suas regiones duxerit; asserit enim in toto Orbe exstare neminem, quem maiori odio prosequatur, quam Nazaradeum Maioricae tyrannum, qui sua littora quotidie depraedatur, depopulatur, inceditque, et evertit ecclesias, sacerdotesque iugulat in templis, et aris. Itaque liberaliter pollicetur se socium bello futurum; postremo Legatum preciosis muneribus donat (1). Haec

(1) *In huius exercitus adventu*, sic Anonymus Pisanus historicus apud Muratorium T. VI. col. 101., *tota Provincia maxima extollitur gaudio, et exclamas se cum Pisanis velle fieri participem Maioricae triumphi. Quare Pisano exercitui Raymundus Barchinone Palatinus Comes, et eiusdem civitatis Pontifex, et Comes Ampuri, et Aymericus Narbonensis, et Guillelmus Pesulani Montis, Raymundus quoque de Balsa, cum maxima suorum equitum, et peditum multitudine unanimiter, et festinantes se sociarunt, et ad portum De Salo simul applicuerunt*,

ubi passim intellecta sunt, Pisanos milites in spem magnam erexerunt, existimantes se in partes Hispaniae delectos divino numine; vulgus tamen, et in primis agricolae aerumnis fessi domum spectantes, reditum in patriam petebant, quos Frasmus Lucensis (1) auctoritate, et oratione sedavit, dictitans rusticis quidem ignoscendum esse, si ad agros redire cupiant, quibus nil aliud curae est, quam semina mandare terrae; civibus autem turpissimum esse, antequam hostes viderint, desiderare patriam.

Interea plures urbes, et principes Provinciae, seu Galliae Narbonensis, fama permoti se Pisanae classi associarunt, et in primis Guilhelmus Montis Pesulani, quem quidam *Agathofolum*

ubi diu demorantes, et frequenter contra Maioricam ire tentantes, ventis contrariis mare turbantibus, iter saepe inceptum perficere non potuerunt

(1) Civitas Lucensis semper summos habuit duces exercitus, inter quos Castruccius Castracanius, qui Saeculo XIV, totam Etruriam, ne dicam Italiam, perterrefecit. Tegrimius in eius vita Parisiis edita anno 1546 festivum Castruccii nominis etymon faciens, ait, *quia castraturus erat Florentinos*, ut evenit.

latine vocant, oppidum hodie ornatur Divo Roccho, Raymundus item Baltius, et Aymericus Narbonensis (est autem Narbo civitas, quae regioni nomen indidit Biterrae) praeterea et Arelate, quae urbs hodie Praesules habet Sanctos, Honoratum, et Hilarium.

Per id tempus Alberius Pisanae classis ductor, qua equi vehebantur vento, Minoricam applicuit (1), qui ubi

(1) Vtrum nec ne etiam Insulam Minoricam Pisani postea invaserint, ceperintque, Scriptores inter se discrepant Michael a Vico in *Annalibus Pisanis* ab anno 971 ad an 1176 ab Vghellio T X. *Ital Sac* pag 99. editis, et a Muratorio auctius, et emendatius iterum productis, affirmat his verbis: *Insulam Minoricae etiam devicerunt*, idemque confirmat Anonymus historicus Pisanus T. XV col 973. At Lud. A Muratorius in *Annalibus Italiae* anno MCXIV contra Troncium, aliosque binas tantum Insulas Ebusum, et Maioricam captas a Pisanis affirmat, et id mire consonat cum verbis Card Pandulphi, qui in memorata Vita Paschalis II Sum Pont edita a Muratorio *loc cit.* T. III. Part I *pag.* 357 statuit *suo loco, et tempore digna volumine comprehendere* Historiam Belli Balearici etc *et quid egregia Pisanorum industria, et admirabilis pertinacia Balearibus Insulis Aeffizae* (eadem est ac Ebusus), *et Maioricae tulerit* etc Huius sententiae, praeter silentium Laurentii Varnensis, adstipulatur pervetustum Epi-

se lapsum sensit in medios hostes, Genuensem quemdam subornavit, qui diceret nautas esse Genuenses; negato enim auxilio ortas esse inimicitias inter Pisanos, et Genuenses: sed rustici interim audientes equorum fremitum, fraudem intellexere, iamque aggredi

gramma, quod antea legebatur supra *Portam auream*, per quam ingredi solebant soli triumphantes, nunc secus Arnum in fronte Aedis Sancti *Salvatoris in Porta aurea*, in quo Maiorica, et Ebusus tantum numerantur. En epigramma

Civibus egregiis haec aurea porta vocatur
 In qua sic dictat nobilitatis honor.
Hanc urbem decus imperii generale putetis;
 Quae fera pravorum colla ferire solet.
Maioris Baleae rabies erat improba multum;
 Illa quid haec possit victaque sensit Ebus.
Annis mille decem centum cum quinque peractis
 Ex quo concepit Virgo Maria Deum,
Pisanus populus victor prostravit utramque,
 Hisque facit strages ingeminata fidem
 Diligite iustitiam qui iudicatis terram.

Ex hac quoque inscriptione magis magisque arguitur Pisanos in Patriam rediisse anno iuxta Pisanorum morem MCXV, quod idem est ac si dicas anno communi MCXIV.
Hoc epigramma iussu Cosmi I. Benedictus Varchius soluto carmine vertit, quod Roncionius in Lib. V. *Historiae Pisanae* MS. apud me, refert.

parabant, quum subito ventus inflavit vela, classemque in Maioricam detulit, ubi Alberius iter flectens in Sardiniam, naves in alto prospexit, et ab initio pertimescens, denique Pisanos esse cognovit, cum quibus in portum Gerundae properavit, nunciavitque viros esse incolumes, equos autem omnes ad unum interisse.

Pisani armis auxiliaribus muniti operae precium duxerunt Barcinonem petere; verum adverso vento in quemdam locum deferuntur, quem portum *De Salò* vulgo appellabant, ubi diu moram traxerunt, saepeque in Maioricam traiicere tentantes, vento reiecti sunt in portum. Itaque Lucenses morae impatientes querelis exercitum implebant, iactantes se laboribus fessos in patriam redire velle. Pisani vero proceres illos blandis sermonibus mulcebant, asserentes eos non quidem coactos, sed sponte sua ad bellum venisse, quod si modo cupiant uxores, natosque videre, faccre se abeundi potestatem. Brevi itaque omnes fere dilabuntur; Pisani vero existimantes in portu se parum tutos, ex eo solventes ad littora

Barcinonis devenere, ubi hyemare decreverunt: sed ventis, et imbribus oppressi in littore naufragium fecerunt, ubi perierunt circiter sexaginta naves. Non tamen nostri cives animo consternati sunt, sed viriliter perseverantes quassatas naves subducere in littus, et eas reficere coeperunt, et triginta biremes misere Pisas, ut laborantem exercitum subsidio iuvarent; et quia Barcinone erat summa caritas annonae, partem exercitus navigare iusserunt in Provinciam, ductoribus Ildebrando Consule, et Gualando, ubi casus miserabilis evenit: Ildebrandus enim Poppus iuvenis Lucensis in ripa Rhodani ludentes pueros aspiciebat, dumque in eos proiiceret lapidem, imprudens equum calcaribus tetigit, qui saltu se in flumen submersit, atque ita equus, et iuvenis pariter periere (1).

(1) Laurentius Varnensis huno casum ita describit Lib II col 122. Litt A

Hic Holebrandus populos transire volebat
Dum scapha Rhodanum, sed equo dum forte sederet,
Oblectavit eum puerorum cernere ludos,
Et quum quaesitam lapidem misisset in illos
Calcar equum tetigit, qui dans in flumina saltum

Interea Nazaradeus tantae classis certior factus, famaque celebri perterritus, optimum quemque in concionem vocat, ut intelligat, utrum sibi magis expediat, an se se Saracenis dedere, an cum Pisanis foedus percutere. Primates sapientia clariores censuerunt foedus esse iungendum, idque facillimum fore, si Pisanis captivi reddantur, quorum maximo desiderio tenentur, neque Saracenis fidem esse habendam, qui plurima Hispaniae loca latrociniis diripiant, testesque citabant Dertosam, et Dianium urbes Hispaniae citerioris, quarum altera Dianium maxime eo tempore claruit, vulgo *Dianam* appellabant (1).

Lucensem iuvenem rapidis submersit in undis.
Non lacrymae fusaeque preces valuere cadenti.
Mortuus huius equus quum tractus ab amne fuisset,
Pisani iuvenes equitem traxere necatum,
Qui socium postquam largis flevere querelis,
Antistes, Clerus, populusque valens Arelatis
Intumulare virum summo curavit honore.

(1) Quod ad hanc Insulam attinet, elegans, lectuque iucundissimum Opusculum a doctissimo Viro Onuphrio Bono conscriptum recens prodiit, cui titulus. „ *Di alcune Antichità dell' Isola di*

Nazaradeus his dictis perculsus captivos undique quaesivit, quos et benigne excipiebat, litterasque ad Praesulem, Populumque Pisanum dedit, quibus pollicebatur omnes expeditionis expensas, preciumque laborum reficere: praeterea suam fidem magnopere extollebat, testem vocans Comitem Emporiarum, quo in expeditionem Hierosolymitanam eunte, eius urbem illaesam servavit (1). Sunt autem

Giannini etc *Vid.* Collezione d' Opuscoli Scientifici, e Letterarj etc vol XI Firenze 1809 »

(1) Hanc expeditionem supra etiam memoravit, et victoriae, ut diximus, Pisanus Populus fuit *caussa et caput* Alterum bellum in Hierusalem excunte Saeculo XII. indixit Gregorius VIII Sum. Pont qui quum conciliaturus Pisanos Genuensibus, et utrosque ad illud suscipiendum, fortiterque pro Christi fide dimicandum hortaturus Pisas venisset ibi obiit die xvi Decemb an MCLXXXVII et in maiori Aede solemni pompa sepultus fuit Quum porvetusta in eius laudem inscriptio incendio quasi consumpta esset IIIIb Octobr an MDXCV, ne tacti illius memoria absleretur, haec insequens suffecta fuit.

D O M

Gregorius VIII Pont Max de Sancta Vrbe Hierusalem recuperanda sollicitus summis viribus bellum adornat adversus Fidei perduelles Pisanos Genuen-

Emporiae urbs Tarraconensis Hispaniae, vulgo *Ampuriam* appellabant. Postremo addebat, si Populo Pisano aliter videatur, iure gentium se patriam egregie defensurum. Pisani vero responderunt nefas esse se de pace sermonem habere priusquam in Maioricam navigent: ibi enim inter eos litem esse componendam, iudice Deo. Scripsit etiam privatim Nazaradeus Petro Albitionis, eumque monuit, ne amicitiam oblivioni mandaret, quam eius avus cum Musacto contraxit, cuius originem placet breviter perstringere. Musactus Maioricae Rex olim Sardiniam invasit, atque subiugavit (1), quod Pisani intel-

sibus conciliaturus Ferraria huc migrat, ut cives maritimis copiis florentissimos, Ecclesiaeque fidelissimos in sacram expeditionem mox sibi coniungat, in agnum facinus invidente morte Pisis obiit XVII Kal Ian A. S. MCXIIIC ingenti cum dolore Christianae Reipublicae, cui tantam gloriam prospiciens dies solum praefuit LVII Res sua mortalitatis pignora hoc ipso loco sepulta Camillus Campilia Aedituus ad redivivam memoriam funesto posito lapide veneratur

A D MDCLVIII

Ex altera parte alia Inscriptio exstat, in qua eius successorem Clementem III Sum Pont in illa Basilica proclamatum esse ann MCLXXXVIII exprimitur

(1) Musactum Regem maximum in bello ducem

ligentes, eam classe petierunt, Musactumque fugarunt. Transacto autem anno Musactus in Insulam rediit, eamque fossis, valloque munivit, Sardosque aquam, et saxa ferentes, operasque praebentes muris defodiebat loco lapidum: cuius crudelitatem abhorrentes Pisani in Sardiniam iterum navigarunt, eamque suae iurisdictioni addiderunt, captumque Musacti filium cum coniuge Pisas duxerunt (1). Avus autem Pe-

fuisse omnes attestantur historici, inter quos Antonius Gazanus in *Historia Sardiniae*; de eo ait „ Avea Musetto giusta la testimonianza di alcuni Scrittori comprovata bastantemente dalla serie delle sue azioni tutte le qualità, che formano un buon guerriero, imperciocchè a un' esperienza consumata nell' esercizio dell' arme, egli univa un gran coraggio, e una rara presenza di spirito con una prudenza uguale per saper moderare il suo ardore a proporzione delle occorrenze ec „

(1) In Historia Pisana apud Muratorium T. VI. pag 167 haec habentur: *Anno MXVII. Rex Mugettus, et Saraceni venerunt Sardineam Ven Benedictus Papa Legatum Episcopum Ostiensem ad Civitatem Pisanam misit, ut Mugettum de Sardinea expelleret, quam totam cum privilegia, et vexillo S Petri Pisanae civitati firmavit etc Anno MXX Mugettus cepit Castrum Iohannis, quod sub Mediolanensi Episcopo erat, et in alio anno in Sardineam est reversus, et Pisani iterum cum Januen-*

tri in urbe clarus Musacto filium dono misit. Igitur Musactus eius successores fratres vocavit.

Nunc autem est ad Pisanos redeundum Barcinone in hibernis morantes, qui iter optatum perficere cupientes, nonnullas biremes in Maioricam ineunte vere praemiserunt, quae secundo vento Ebusum (1) appulere, ubi milites urgente fame in terram exeuntes incauti per rura vagabantur, cives autem Ebusini occidebant palantes. Petrus autem Ascensus signifer, et vir fortissimus eos magno impetu invasit, cui resistere nequeuntes Ebusini collem occupant, qui a littore porrigitur

sibus illum fugaverunt, et thesaurum, quem secum tulerat, habuerunt, et totum ex conventione Ianuensibus concesserunt etc Anno MI. Rex Mugettus cum magno exercitu reversus est in Sardineam, et aedificavit civitates, et coronatus est ibi. Pisani vero cum Romana Sede firmata concordia, cum privilegio, et cum vexillo S. Petri accepto invaserunt Regem, et ceperunt illum, et totam terram, et coronam Imperatori dederunt, et Pisa fuit firmata de tota Sardinea a Romana Sede.

(1) Itali vocant *Evissam*, Hispani *Yvicam*, alii, inter quos Troncius, *Minoricam*, alias Balearem minorem; sed iuxta Ferrarium, et Muratorium hi postremi hallucinantur

in urbem: Pisani vero acriter instabant, et Lamberto, et Heritone (1) ducibus egregie dimicantes collem caede replebant. Ebusini cedere coacti muros ascendunt, saxisque, et iaculis hostes repellunt; nostri paullatim in tuto se receperunt; domos enim sub urbe positas intravere, ubi praeter spem quosdam de plebe viros, et agricolas invenerunt, quos manibus post terga ligatis ad littora traxerunt cum praeda, statimque solventes in Maioricam devenere, duasque biremes anteire iusserunt Lamberto duce, qui Nazaradeum invenit in portu, quem *Pineum* vocabant. Rex Consules blande appellavit, rogavitque, ut in littus descenderent,

(1) Varnensi semper est *Guinithone*, cui, teste Troncio, cognomen fuit de Hericis, et alter erat Lambertus de Ricucchis, cuius agnatus Cuccus de Ricucchis iuxta Felicem Vialium Athenaei Pisani Professorem in Opusculo inscripto *Ringraziamento a Pisa*, Patavii edito an 1675 pag 11 Hierosolymam a captivitate Saracenorum liberavit anno 1100 En eius verba „ Cucco Ricucchi vostro Cittadino è l' Eroe, cui devo più che ad ogni altro la già schiava, e sotto il peso di barbare catene languente, ora liberata Gerosolima le sue fortune. „

omnia ad victum necessaria daturus. Consul vero hosti fidem habendam non censuit, confestimque revertitur ad socios, qui in Minoricam iter direxere, ut eam depopularentur; sed eos fefellit opinio; nam rustici omnia esculenta in loca tuta reportaverant. Itaque nostri milites inedia laborabant, nec alio cibo nutriebantur, quam radicibus herbarum: quocirca quam celerrime in Hispaniam rediere, ibique Bosonem Summi Pontificis Legatum invenerunt, qui Pisanum exercitum summa laetitia affecit. Item paullo post tempore LXXX. naves Pisis advenere, quibus tanta gaudia creverunt, ut ea difficillimum foret mandare litteris; pater filium amplexabatur, fraterque fratrem; hic uxoris nuncium accipiebat, ille parentis; convivia ubique parabantur, omnia plena laetitia (1) cantu personabant (2).

(1) Voces *plena laetitia* desunt in Codice Magliab

(2) Laudatus Varnensis ita describit Pisanorum gaudium *Lib* III. *pag* 128 *Lit* A,

Fratris frater habet positos in colla lacertos,
Amplexuque dato, dans oscula juncta vicissim,
Quid chari faciant vitae solatia quaerit

LIBER II.



Praetereunte iam vere Boso Legatus Pisanos cives hortatur, ut expeditionem accelerent, fratresque catenis ligatos Pontificis nomine commendat, cuius auctoritate commotus exercitus in portu *De Salò* universus convenit natali die Divi Ioannis Baptistae, indeque cum quingentis navibus tam triremibus, quam biremibus, et onerariis brigantinis, barcisque, ut vulgo dicitur, quae classem sequebantur (1), in Insu-

Gaudia non fuerant nationis tanta Sabiosae
Cum praecesserunt coram genitoribus olim
Natos Romulea gestantes gente creatos,
Vota patrum natos quanta pietate tenebant,
Et nati quantum placidos strinxere parentes,
Et quantum fratrum tenuerunt colla lacerti.
Visibus Alphei carorum laetificati
Ducere robusto coeperunt gaudia motu.

(1) Verba *tam triremibus* etc. usque ad *sequebantur* desunt in Magliab. Cod.

las Baleares traiecit prosperis auris, primoque Ebusum applicuit. Est autem Ebusus una ex Insulis Balearibus, et eiusdem nominis civitas: insulae caput vergit ad septentrionem, dextera est ab occasu, sinistra vero ab ortu solis, finis autem parumper tendit in austrum, deinde flectitur in occidentem. Portu ornatur magno, habet et planitiem montibus asperrimis circumdatam, quae frugifera est, et mellis copia abundat: oppidum vero in arduo situm erat, cuius arcem triplices muri turribus altis muniti, fossaeque triplices cingebant, aquis praeterea palustribus et muri iuvabantur (1). Erat et ibi praefectus Abalmunzor (2) nostrae fidei desertor, vir fortis, et Christianis admodum infensus, adeo ut nostri loci victoriam desperarent: auxilio tamen divino freti muros invadere sub noctu coeperunt magno

(1) Laurentius a Varna mire Insulam hanc Ebusinam describit Lib. cit col. 128. Litt. E. et seqq.
(2) Sic ipse Varnensis Lib. III. col. 129. Litt. C.

Vir fuit ille ferox captivus ab urbe Gerunda,
Qui postquam verum Christi Baptisma negavit,
Verna fuit Sathanae, quo non crudelior ullus

clamore, et clangore tubarum; ubi vero illuxit, acies ordine instruxere, atque in moenia tendunt. Ebusini vero iaculis, sudibusque se acriter defendunt, e portis etiam animose prodeuntes, quorum plurimos nostri obtruncant; postero autem die vineas ad muros trahunt, quos crebris arietibus pertundunt; naves etiam a latere fortiter pugnabant sagittis, et ignibus. Nox tandem praelium diremit; e nostris Bartolus, Anfossusque, et Opitho egregie se gesserunt, nec minus Guido (1), et Petrus

(1) Hic forte est Guidus ille Pisanus clarus in Grammatica, Rhetorica, et Dialectica, de quo idem Laurentius Varnensis ait:

His inerat clarus cum Consule, Guido, Dodone Ordine Levita, trivii ratione peritus.

Nec mirum, si bello interfuit, nam priscis temporibus etiam Monachi, ipsique Episcopi, ut notum est, arma ferebant in hostes Christiani nominis. Ex Instrumento Pistoriensi anni 852. apud Muratorium *Antiquit. Ital. T. I pag.* 337 constat Idelbertum Abbatem saepe coactum esse *ire in hoste*. Ermoldus Nigellius Ananiae Abbas in suo Poemate *De Gestis Ludovici Pii*, testatur se huius Imperatoris exercitum contra Britanniae minoris populos sequutum fuisse, sed neminem necasse.

Hunc egomet scutum humeris, ensemque revinctum
Gessi, sed nemo me feriente dolet.

Parlascius, qui ambo sagittis vulnerati ad tentoria revertuntur cum sociis.

Singulis subinde diebus Pisani moenia tentabant, semel autem evenit casus miseratione dignus; quinque enim nostri milites muros ascenderunt, qui ab initio sternunt, fugantque Ebusinos: tandem ubi multitudine hostium premuntur, quatuor ex illis saltu sibi consuluerunt, quintus remansit, puer admodum natus annos quindecim Pipini filius, qui ubi salutem desperavit, inter confertissimos hostes incurrit, eos viriliter occidens; tandem ipse innumeris vulneribus conficitur, cuius mortem totus exercitus fletu, lacrimisque prosequitur.

Pisani cives animadvertentes urbem expugnari non posse humanis viribus, machinam horrendae magnitudinis extruxerunt, atque super ea testudinem posuere, et arietem, qui miro impetu moenia feriebat, et turres; nec minori industria Ebusini fulcris, pluteisque, et cratibus muros muniebant (1).

(1) Pisani non tantum in consttuctione navium, ut diximus, plurimum valebant, sed etiam in con-

Demum quaedam turris coepit minari ruinam, quae circa medium diem ce-

struendis machinis militaribus. In Historia de *Bello Mediolanensi adversus Comenses* an MCXXVI a Muratorio edita T. V. col 453 haec habentur:

Et repetunt Pisas nec non satis ingeniosas;
Acquirunt multos, qui sunt hac arte peritos
Artifices datos ad muros effodiendos

Falcus Beneventanus *Chronic* Ann MCXXXVII apud eumd. loc. cit. col 122 in obsidione Salerni *Consules Pisanorum civitatis constantiam aspicientes etc lignorum machinam mirabiliter, mirabilisque excelsam, et ultra quam credi potest terribilem, construi, summaque cum festinatione levari mandaverunt*. Michael de Vico *Historia Pisana* apud eumdem T. VI. col 184 haec narrat anno MCLXXI Pisani profligatis Genuensibus, ac Lucensibus prope Motronem in Ditione Lucensi *iverunt cum Manganis, Gattis, Castellis ligneis, et Petreriis*, et *illud in recintu obsiderunt, et per dies quatuor cum praedictis, et aliis machinis, ipsum viriliter oppugnaverunt*. Historicus Anonymus apud eumdem T VI col 101 ait. *Compositis ab ingeniosis Pisanorum artificibus manganis, gattis, atque ligneis castellis, urbem fortiter expugnabant, et cum his machinis urbis moenia, et moenium turres potentissime rumpebant*. Tandem apud Muratorium loc cit col 181 legimus, quod anno MCLXVIII *miserunt* (Pisani) *Burgensem Consulem cum X Galeis* (iuxta Roncionium autem *Historia Pisana Lib VII An* 1169 *cum quadraginta Galeis*) *et probis Pisanis, et*

cidit, cuius magnitudine locus undique intremuit: nostri non obstante copia

varias machinas ad obsidendam Alexandriam civitatem, quam tenebant Saraceni etc Laurentius Vernensis instrumenta describit, quae Pisani secum gestaverunt ut inimicos offenderent, turres quaterent, et moenia sternerent.

Hinc enim Turres, Pontes, Scalaeque geruntur
Cum quibus excelsos invadunt agmina muros
Hinc quoque quae magnas mittant in moenia moles,
Exagitent, rumpantque domos tormenta parentur
Hinc Balista minax, Aries, Testudo petuntur.
Sicque per innumeros lignum consumitur usus;
Nec cessant fabri, ferrum consumitur Ilvae

Praeter haec, summa Pisanorum gloria est, iuxta Constantinum Caietanum in commentariis ad Vitam Gelasii II Sum. Pont relatis a Muratorio loco citato, eos leges maris condidisse, quae anno MLXXV Romae a Gregorio VII Pont Max approbatae fuerunt. *Soli*, inquit, *Pisani promotores extiterunt, ut Mare, quod antea nullis legibus navigabatur, certis in posterum eius navigatio coerceretur etc Adeunt itaque Romam, Gregorium VII Papam conveniunt, aguntque cum illo, ut a Sanctitate sua vim reciperent eae Maris leges, ordinationesque Adnuit Summus Pontifex, easdemque confirmavit in Basilica S Ioannis Lateranensis Cal Martii anno Christi* 1075, *confirmatasque mox Romani iuramento observare perpetuo se obstrinxerunt. Quibus deinde accesserunt Pisani Maioricae primum anno* 1115., *deinde Pisis* 1118 *eas ipsas marte le-*

4

pulveris moenia invadunt. A porta etiam Hugo Vicecomes, et Dodo (1), praeterea Ildebrandus, Eufraxius, et quidam Hispanus Tarraconensis urbem ingrediuntur, et obvium quemque obtruncant, fugantque, praeter unum Maurum, qui aditum quemdam servabat acriter pugnando, quem Ildebran-

ges iuramento corroborantes *Mox sequuti sunt Reges, et Principes alii, Respublicae insuper, et Populi tum Occidentales, tum Orientales idipsum praestiterunt* *Extant ipsae Maris ordinationes lingua latina, Italica, Provenzali, sive Gallica, Narbonensi, et Cathalana, tum manu exaratis tum impressis Codicibus evulgatae etc.* Hic liber italice inscribitur *il Consolato del Mare*, qui, quum pluribus in locis subobscurus esset, a Clariss. Iosepho Maria Casaregio Florentiae Seviro Iuri dicundo declaratus fuit, ibidemque editus an. MDCCXVIII, iterumque ab eo ibi excusus anno sequenti in suo Tractatu *De Commercio* In hac re videnda est *Epistola* D. Virginii Valsecchii: *de veteribus Pisanae Civitatis Constitutis*, pag 28 Clariss D Franciscus Masius in opere inscripto. *della Navigazione, e Commercio dei Pisani*, pag 90-99, et Azunius in Opere: *Sistema universale dei principj del diritto marittimo dell' Europa*, Florentiae edito an. 1795 T I. Art. VII. pag 179-218

(1) Inter septem Familias nobiles, quas Otho I. Imp Pisis anno 962 reliquit, illa de Dodis, teste Dempstero, *de Etruria Regali* T. III. pag. 251., adnumeratur.

dus ens perimit. Interim ab ea parte, qua turris ruinam dedit, nostri milites irrupere, atque ingentem edidere stragem: nonnulli tantum ad saxa praerupta confugerunt, seque praecipites in mare dederunt (1). Capta prima urbe, saepe aliam tentarunt, verum semper nostri reiecti sunt. Octava autem die coeperunt ariete muros concutere, nec minus Ebusini se defendere, et moenia reficere, hostemque sudibus, et sagittis repellere conabantur. Demum nostri milites scalarum copia muros ascendunt, et urbe secunda potiuntur. Iamque tertiam oppugnabant, et in primis magni proceres, Malusvicinus, et Guido Rubeus, et Raymundus Barcinonensis Princeps, quum forte Abalmunzor e fenestra prodierat tristis admodum turris ruinam aspiciens, cuius guttur e nostris quidam casu tendens arcum, sagitta traiecit. Ea re perterriti Ebusini suppliciter Princi-

(1) Inter quos Burabe, quem Saraceni defuncto Nazaradeo in Regem elegerant, sed Pisanorum custodias fallere non potuit. Captus enim ab illis est, ac deinde manibus alligatis Pisas captivus ductus fuit.

pem orabant, ut fortunae cederet, atque Ebusinorum saluti consuleret. Ille dicebat iurasse per iura Mahumetis se incolumem nunquam deditionem facturum; hi vero negabant eum periurio obnoxium; neque enim incolumis est sagitta vulneratus; tandem precibus flectitur. Itaque Ebusini se dedunt et sua vita contenti. Pisani autem urbe potiti sunt festo Divi Laurentii, qui statim moenia, et turres solo aequarunt: obsidio mense duravit; et quoniam de praeda inter plebem altercatio orta est, eam in tuto reposuere (1). Deinde in Maioricam tendentes ad insulam parvam appulerunt, unde urbis moenia spectari poterant, quae Praesul Pisanus dextera ostendens, *Hic*, inquit, *Pisani cives, Christus captus est, et ligatus, hic fratres carcere, et tenebris clausi, illuvie, et pu-*

(1) Historicus anonymus Pisanus apud Muratorium T. VI col. 104 Litt. D ait: *Quantos autem regios thesauros in palatiis, et auro, et argento, atque regiis pretiosis vestibus, aliisque innumeris spoliis in urbe repererunt, describi difficile est; inventis ibi super haec argenteis Crucibus, atque Divinis Libris, aliisque Ecclesiasticis ornamentis, quae ipsi pessimi Saraceni depraedati fuerant per Provinciam, et alias Christianorum regiones.*

dore squallentes, hic praedae ex agris nostris ablatae. Ferte suppetias Domino, Deoque nostro (1). His, atque alus ver-

(1) Haec Praesulem Pisanum ad militem ardorem concitandum dixisse satis patet. Laurentius quoque Varnensis *Lib* IV *Col* 132. Litt. D dicit:

Hinc cum Consulibus Proceres tristantur, et omnes
Tum Petrus Antistes populos hortatur ad ista:
Tartareos aditus properavit vestra voluntas,
Dixit, et ostendit Balearica moenia dextra.
Captus ibi fateor vester pius, atque Creator
Dicitur in membris, quis non pugnabit, ut ipsum
Eruat, ipsa licet mortem sibi bella minentur?
Vos tamen in bello lethum nolite timere,
Nonnisi pro bello vitae quia poscitur Auctor,
Atque Dator vitae cunctis qui praeparat usum,
Et qui pro nobis Crucis est in stipite fixus,
Cum captis captus nunc permanet, atque ligatus,
Vt det opem vinctis, trahat et nexibus ipsos.
Qui captum Dominum pugnamve relinquit agentem
Iuste damnatur, digne privatur hon re,
Et manet infamis semotus ab urbe, foroque.

Troncius vero *Hist. Pisan* pag. 49 Praesulem Pisanum sic loquentem inducit: „ Ecco o valorosi Campioni, che già è scoperta agli occhi nostri quella Città, dove regna il gran tiranno, fatta carcere dei vostri congiunti, dove sono le ricchezze predate ne' vostri mari, nemica a Dio abitandovi il destruttore della Cristianità, accingetevi con il cingolo del zelo dell' onor di Gesù Cristo, e come suoi difensori affrontate coraggiosa-

bis Boso Legatus copias hortatur, ne labores ferre recusent, neve pericula formident. Postremo morientes omnes coelo donabant. Quibus peroratis, in littus egrediuntur, ubi erat Silva pinea, quae sex millia ab urbe distabat: eo autem die Festum Divi Bartholomaei celebrabatur: nocte vero praecedente visus est cometes, cuius radii in Maioricam cecidere, ex quo Pisani faustum, felixque omen acceperunt (1). Principio igitur consilium inierunt de urbe expugnanda ea parte, qua tendit in Orientem: tertia autem die primi

mente l'inimico; impugnate l'armi della giusta vendetta degli oltraggi ricevuti, e danni sofferti dal Capitano de' Ladroni. Apprendete le lance, e le taglienti spade contro il micidiale sitibondo del sangue Cristiano. Dimostrate segno d'invitti guerrieri, e fate risonar la fama dei vostri eroici fatti per tutto il mondo, per acquistarvi immortal gloria ».

(1) Ita Varnensis *Lib* IV. *col.* 134 *Litt.* C.

Stella cadens divisa comas per mille videtur
Dispersum Baleae signat divisio regnum.
Ad Baleam, clamat populus, nos sidus ad illam
Christum properare monet, properare, potenter
Est superare datum nobis Balearica Regna,
Sideris in Baleam radios cecidisse videtis.

omnium Hugo Bellominus, et Mausetus (1) in aciem exire coeperunt, quibus se adiunxere sexdecim viri fortes Pisani, qui sub Gherardo Comite Lemani militabant (2). Est autem Lemanus lacus Provinciae, et urbs eiusdem nominis.

Hos venientes Mauri alis exceperunt, confestimque medios clauserunt, existimantes captos esse, sed opinione falluntur: illi enim in obstantes fortiter irrumpunt, quos fugant, caeduntque; denique in tutum se recipiunt. Indignan-

(1) Meus codex habet *Bellomerus*, et *Maureus*, et Laurentius Varnensis *Lib* V *Col* 134. *Litt* E *Bellonius*, et *Mauretus*.

(2) Hic, quem Auctor noster superius appellavit *prudentissimum*, et *Oratorem eximium*, erat de Stirpe clarissima Comitum *della Gherardesca* iuxta Clariss Macciomum in Opere inscripto: *Difesa de' Conti della Gherardesca etc* T I pag 16, ubi ait: *ciò fa ben conoscere quel grado di potenza, a cui fin di quel tempo* (Saecul XI) *era giunto* (haec Familia), *onde non è maraviglia, se il Conte Gherardo fu nel* 1114. *chiamato dai Pisani per disporre la celebre spedizione contro Maiorica, e Minorica*. Valde miror, cur Iacobus Willelmus Imhoff in *Genealogia viginti illustrium in Italia Familiarum* Amstelodami ann. 1710 edita hanc praeterierit.

tes autem oppidani eos veluti e manibus elapsos, in duas partes se divisere, quarum una campos tenuit, altera vero littora, magnoque conatu Pisanos cunctos adoriuntur; qui quum resistere non possent, paullatim pedem referunt, terga vertere nolentes. Haec animadvertentes Guilielmus Arelatensis, et Gualandus signifer Pisanae urbis, nostris laborantibus opem tulerunt, eos etiam sequuntur Comes Emporiarum iam senio confectus, et duo Consules Ildebrandus, et Azo (1); quorum primus signum Divae Mariae ferebat, alter Azo Summi Pontificis, atque ita conserto praelio strages oritur horror da (2): primo tela, sagittaeque volant, demum gladio res agitur. Hugo autem Parlascius venabulo plures interficiebat; Dodo,

(1) Primus iuxta Troncium erat de *Orlandis*, alter de *Marignanis*.
(2) Ita Varnensis *Lib. V. col.* 135. *Lett* G.

Tunc vexilla gerens Pisanae signifer urbis
Valandus cuneos in campum ducit apertum.
Hinc Ildebrandus Sanctae vexilla Mariae
Consul habens dextra saevos incurrit in hostes
Sedis Apostolicae vexillum detulit Atho,
Et diras petiit violente milite turmas.

et Bernardus urbi appropinquantes, portas hasta feriunt; quibus redeuntibus Bachimas Hispanus, et Ander se obvios dederunt, sed ambo caesi iacuerunt. Tegrinus (1) etiam, et Gerardus Caietanus (2), Guidoque Butensis acri-

(1) Hic erat de Familia Tegrinorum nobilissima, ex qua ortum habuit medio circiter saeculo XIV Franciscus Tigrinius in iure civili celeberrimus, unus ex praeceptoribus Bartoli, *vir recolendae memoriae, magnae scientiae, et sanctae vitae*, ut Baldus ait

(2) Caietanorum familiae chronologica habetur descriptio a Farullio compacta, et Lucae anno MDCCXXIII edita, in qua pag. 10. habetur: „ Sotto la condotta di Gherardo Gaetano Generale della Chiesa si debellò Ruggieri Re di Sicilia, e si rese padrone di Maiorica, e Minorica cacciandone i Mori, che si arresero al suo valore, e potenza „ Ex undeviginti S. R. E. Cardinalibus Pisanis, qui Saeculo XII floruerunt, sex ex hac familia percensentur, nempe *Gregorius* a Paschali II creatus an. 1101, *Matthaeus* a Callisto II an. 1124, *Villanus* a Lucio II an. 1144, *Gherardus* ab Eugenio III an. 1145, *Petrus* ab Alexandro III an. 1164., et *Gualfredus* a Lucio III. an. 1182, et hic adeo scientia, prudentia, ac sanctitate pollebat, ut electionem eiusin Archiepiscopum Ravennatensem, et dein in Patriarcham Hierosolymitanum Innocentius III minime firmavit eo tantum titulo, *quia universalis Ecclesia eius opera indigebat*: Sic Oldoinus in *Addit. ad Ciacconium* T. I. col. 1112.

ter pugnabant, quorum Guido graviter vulneratus in castra defertur (1). Popiniensis quidam rusticus equum calcaribus urgens plurimos sternebat, quem Nelops unus ex Maurorum Primatibus incautum iaculo traiecit (2). Ille vero eodem telo auctorem mortis peremit, nec prius ad superos migravit, quam tres alios addidit; duo autem Gualandi fratres Albertus, et Sicherius, praeterea Lanfrancus (3), et Guido Rubeus

(1) Troncius in *Historia MS Familiarum Pisan.* ait, *Guido da Buti mostrò il suo valore in tempo, che dall' Armata Pisana fù assalita l' Isola di Maiorca nel* 1115. Ex hac stirpe praeclarissima ortum habuit Franciscus Butensis Grammaticae Professor Saeculo XIV in patrio Athenaeo, cuius elogium a doctissimo Iureconsulto Thoma Simonellio Pisano exaratum legitur T. IV. Operis inscripti *delle memorie Istoriche di più Illustri Pisani pag.* 159.

(2) Voces *unus ex Maurorum Primatibus* desunt in Cod. Maglab.

(3) Floret adhuc vetustissima, ac nobilissima Lanfrancorum Familia, ex qua ortum habuit Dambertus Praesul Pisanus magna virtute, doctrina, ac prudentia praeditus, cui, successoribus suis, Civibusque Pisanis Sum. Pont. Vrbanus II. anno 1091 IV. Kal. Iulii Insulam Corsicae sub annuo censu Librarum 50 monetae Lucensis perpetuo possidendam tradidit, eumque X. Kal. Maias 1092 Archiepiscopali Pallio, et Metropolitica potestate decoravit.

nobilissimas Familias magna gloria cumularunt, nec minus Principis Barcinonensis, et Gerardi Comitis virtus emicuit. Mauri tandem inclinant, et quum nostrorum vires ferre non possent, receptui canunt. Haec animadvertens Nazaradeus magna voce exclamat: *Quid agitis miseri Cives? An ignoratis pro liberis, et parentibus pugnare, pro aris, et focis? eundum est in hostes, non fugiendum.* Optimi vero Regem solabantur promittentes pro eius regno pericula omnia subire, et mortem contemnere, atque facto agmine e portis erumpunt. Burabe signum cepit, Alas autem dextro cornu praefuit, Corax (1) vero sinistro. E nostris autem Guilielmus Montis Pesulani, et Aymericus Narbonensis, Raymundusque Baltius (2) hostes invadunt, atque collatis signis ita acerrime confligitur. Nihil aliud audiebatur, nisi sonitus armorum, virorumque clamor, et clangor tubarum, ubique terror erat, et mortis imago: cam-

(1) Hic iuxta Troncium *pag.* 50 erat Regiarum copiarum supremus imperator.

(2) In Cod. Maghab *Baltrus*, at omnes historici habent *Baltius Comes Barcinonensis*

pi enim sanguine, caedeque spargebantur. Petrus Grossus Coracem sternit, quem dum iugulare parat, Maurorum multitudo eripuit. Alpheus signifer, et Bernardus Marinianus, Petrusque Parlascius plurimos obtruncant. Consules praeterea Herito, et Gerardus, Ildebrandusque terrorem haud mediocrem hostibus incutiebant, quocirca Maioricenses in urbem fugantur, hominesque, et equi multi capiuntur. His perterritus Nazaradeus Pisanis Legatos mittit desiderans foedus inire, et captivos reddere, privatis etiam vestes mittit, et aurum (1), impulsore Emporiarum Comite, qui Regis erat amicus; sed homo levissimus in horas mutabatur. Interim vero Dalmatius vir fortis, duobus tantum comitatus, portis appropinquans Mauros invadit, quos dum caedere parat, ipse multitudine interficitur. Nostri miserabile fatum audientes in Barbaros feruntur, qui statim intra moenia fugiunt. Exercitus ea re indignatus ur-

(1) Troncius pag 50 „ ma gli fu risposto, che dicessero al loro Re, che i Pisani erano incorruttibili, e che pretendevano solamente soggiogare quel suo Regno. „

bem debellare magis magisque cupiebat, sed omnino difficillimum opinabatur; civitas enim cingebatur tribus moenibus, addita turrium multitudine, et fossis altissimis: vere autem tres erant urbes, sed una nomine *Maiorica*: addebatur quarto loco arx munitissima, quae mediam turrim habebat, quam *Cassarum* vocabant, ubi erat Regia. Hanc urbem placidus amnis interluebat, qui pontibus quinque ornabatur, et fonte pulcherrimo; hominum vero partim oppidanorum, partim exterorum, Maurorum, et Hispanorum, praeterea Arabum, et Parthorum circiter sexaginta millia feruntur, equitum autem tria millia, sagittariorum, et funditorum vis magna. Considerantes nostri milites eiusmodi vires brevi tempore superari non posse, naves in arenam subduxere, murisque vicinius castrametati sunt: duas etiam turres construxere ligneas, quas crates, et terga boum muniebant, vulgo *Castella* vocantur: hae mira magnitudine moenia superabant, incredibili celeritate currebant. Interea Barbari portis egrediebantur, iaculis, saxisque exercitum pe-

tentes; quae moleste ferens Robertus Consul in eos tendit, solusque fugat omnibus admirantibus; sed equus in fossam cecidit, unde ipse pedes difficulter, anxieque dimicabat. Demum supra levam pupillam graviter vulneratur, a suisque in tentoria fertur. Nostri civitatem oppugnare deliberantes duplici ariete murum aperiunt per quadraginta passus. Hic Boso (1) Legatus orationem habuit suadentem, quae omnium lacrymas excitavit, militumque animos accendit ad praelia: ubi vero peroravit, pedites, equitesque murum ingrediuntur: Mauri animose se defendunt sagittis, et iaculis, plurimosque interficiunt. Idcirco equites, quibus iter erat arduum, redire coguntur: quae videntes pedites et ipsi terga dedere; Barbari vero videntes foedam fugam, cantu, et tympanis moenia replebant.

(1) Tres iuxta Ciacconium Saec. XII Cardinales *Bosonis* nomine fuerunt. Horum primus, titulo SS. Quatuor Coronatorum, quem Auctor noster hic memorat, Gelasio Sum. Pontifici Aedem maiorem Pisanam consecraturo obviam ivit, ut ipse Ciaccon. T. I. col. 920 refert. Alii vero duo circa finem praedicti Saeculi floruere.

Hanc ignominiam quum nostri milites ferre non possent, postridie vallum adoriuntur; sed iterum convertuntur in fugam omnes praeter unum Raynerium cognomento *Malecontentum*, qui ob animi magnitudinem dare terga non substinuit, sed innumeris vulneribus conficitur, Maurisque ovantibus, caput est ablatum. Pisani itaque Patres vitam trahebant acerbam, plurimique aegrotabant, et diem suum obibant ob aeris intemperiem, et potum aquae, non solum populares, sed etiam nobilitate clari.

Inter haec Beltraminus Arelatensis vir dives admodum, et nobilis, solus vallo se obtulit, quem mirabiliter pugnantem Parthus sagitta traiecit; ea occasione nostri muros intravere, tertioque reiecti sunt, Alpheusque signifer sinistro lacerto vulneratus; iam Pisani cives loci deditionem desperabant, iamque incepti poenitebant. Accessit etiam ad cumulum miseriarum, quod Raymundus Barcinonensis Princeps, et Comes Emporiarum reditum in patriam petebant, litteras enim ostendebant significantes falso eorum agros a Saracenis

ferro, igneque vastari: re autem vera Saraceni Barcinonem advenere, sed ab incolis fusi, fugatique fuerunt. Nostri patres Principem admonebant, ne vellet fidem fallere iuramenti memor, et pollicitationum. Demum in hanc conventionem devenere, ut Populus Pisanus Principi in exercitu manenti iacturam omnem reficeret. Postremo nocte intempesta Mauri testudinem nostris militibus plenam incendunt, qui igne experrecti subito ad arma conclamant, sed illis vix datum est evadere, combusta testudine.

Pisani Cives videntes eorum conditionem in peius ruere, prudentiores in concionem vocant, multaque de rebus gerendis agitant; nominatim etiam Azo militibus ignaviam obiecit. In primis autem decrevere duo alia castella construere, quae iam aedificata ubi Nazaradeus conspexit, animo consternatus ad Butalem Diani Dominum litteras mittit, quem rogat, ut suppetias ferat. Pisanosque memorat publicos esse latrones, et Mahumetis legibus perpetuos hostes, eosque petere captivos omnes, et Maioricae Regnum, ut ipse vita con-

tentus, miser orbem pererret, obtestatur demum ut hanc Provinciam susciplat omnino, quoniam ipse sit Pisanis viribus impar: oratque etiam, ut se Marochi Regi commendet, cui servire, et tributum pendere pollicetur potius, quam Populo Pisano. Erat autem Maroch in littore Mauritaniae, Regia Saracenorum. Butales Regis fortunam miseratus, scripta epistola eum iussit esse bono animo, statimque classem parat, et Ebusum adnavigat. Pisani vero eius adventum timentes (1) viginti naves Ebusum misere, quarum sex alias longe praeeuntes, villas, et agros depopulantur. Butales suspicans id quod res erat, Pisanos videlicet eius adventum ignorantes per rura vagari, decem navibus comitatus nostras invadit hominibus vacuas, primamque adoritur, cuius rector erat Bernardus Marinianus, qui acerrime dimicavit, forteque periculum evasisset, sed vulnere confectus capitur, capiunturque et aliae tres naves. Nostri autem, qui praedae intenti fuerant, accepto nuntio, in castrum desertum se receperunt, ubi multa sunt

(1) Meus codex habet *audientes*

passi, asinis saturati, et radicibus herbarum. Butales autem cum praeda recessit. Interea populus Maioricensis fame laborabat, nec vini ulla copia dabatur. Itaque Nazaradeus saepe captivos offerebat, quae conditio placebat Comitibus, qui ut Regi gratificarentur, Pisanos incusabant, quod pro gloria certabant (1), non pro salute captivorum. Praesulem etiam, et Sacerdotes iactabant in tentoriis molliter vivere, nec de aerumnis miserae plebis curare. Consules autem longe aliter sentiebant, verentes ne, si redditis captivis discederent, Rex iterum maria depraedaretur. Sacerdotes etiam excusabant, quod bellum suaderetur (2) iussu Summi Pontificis. Comites, qui passim male audiebant, fidei, et iuramenti memores conticuerunt; nostri autem coeperunt durius (3) agere bellum, ferroque, et igni omnia vastare. Praeterea occidentibus, et in praeliis viriliter agentibus (4) praemia dabantur.

(1) In meo Codice *certarent*.
(2) Meus Codex pro *suaderetur* habet *suaderent*.
(3) *Dirius* in meo Codice.
(4) Voces *et in praeliis viriliter agentibus* desunt in Cod. Magliab.

Haec Nazaradeus aegra ferens animi dolore moritur, Burabe autem Rex creatur. Per id tempus nostri milites belli taedio affecti, patriam, et dulces natos visere petebant, querebanturque multos esse peremptos morbo, gladioque, Pisanas etiam (1) opes attenuatas pro Insulis Balearibus; denique naves reparare pro reditu coeperunt. Huc accessit, quod Raymundus Comes, Mauris exeuntibus in aciem, gravi vulnere confectus est, quem Barbari praedicabant interiisse, Pisanosque brevi obsidionis poenas daturos. Matronae etiam Pisis se se luctu, et lamentis affligebant, aurumque, et gemmas deposuere, nudisque pedibus templa adibant votis nuncupatis (2). Summus autem Pontifex

(1) Vox *etiam* deest in Cod Magliab.
(2) Sic Varnensis *Lib* VI *col.* 155 *Litt.* C

Interea Pisis matronae, sive puellae
Deponent cultus, ac Templis semper adhaerent,
Vota parant, et thura ferunt celeberrima Sanctis;
Saepeque nudatis pedibus sacra templa petentes,
Profundont lacrymas, durae dant oscula terrae,
Pro caris orant plenum pietate Tonantem,
Victoresque petunt, sanosque videre maritos.
Volscorum meriti Praesul Rogerius alti,

ieiunia per Italiam indixit; Pisani tandem suae virtutis memores facti alacriores, turres ad moenia ducunt, atque in urbis castellum ignem proiiciunt, quod facillime crematur; eius autem favillae castellum alterum comburunt omnibus admirantibus. Itaque laetitia exultantes tripartito muros intraverunt, sed more solito repelluntur. Postridie etiam prima luce decies reiecti sunt non sine clade memorabili. Praetereunte die e nostris septem milites, qui turrim nuper captam in primo aditu tenebant, desperatione valentiores (1) facti, animose in Barbaros feruntur, incredibilique dictu est quam caedem ediderint tam parvus numerus (2). Alii vero videntes rem prospere cedere, et ipsi muros intravere, Maurorumque multitudinem obtruncant. Eufrasius

Laurigeras Pisas comites spoliare volentes
Territat, atque minas cohibet, prohibetque rapinam.
Per Latium totum ieiunia sancta, precesque
Papa iubet fieri, monet hinc et epistola Gallos.

(1) In meo Codice *fortiores*.

(2) Iure meritoque Muratorius in *Annalibus Italiae* T. VI pag. 377 edit. *Monoeci* 1762. bellum hoc terribile fuisse affirmat.

praeterea cum filio a parte maris urbem ingreditur, qua re perterriti Barbari undique diffugiunt, et in urbem veterem se recipiunt. Nostri igitur potiuntur urbe nova octavo idus Februarii, cuius victoriam praedixit Henricus Plebanus anteriore die (1).

Mauri vero animo consternati castra Raymundi Comitis adeunt, seque, suosque liberos commendant, orantque, ut foedus iungat arbitratu suo. Comes Praesulem, et Legatum, altosque Proceres convocat, et de pace sermonem habet. Petrus autem Albitionis vir clarus et nobilis, armatus coetum (2) ingreditur magna voce exclamans non de pace agendum, sed de urbe expugnanda; atque ita omnia interturbat (3). Ea re

(1) Cum Aedis Plebanus hic fuerit, ignoratur. Varnensis *Lib.* VI *col.* 156. *Litt.* A.

Presbyter Henricus plebanus luce sub ista
Laetitiae didicit praesagia cuncta futurae.

(2) In Cod Maglab *etiam* pro *coetum*

(3) Troncius *pag.* 53. ait: „ Al Conte Raimondo li saria veramente riuscito il suo intento, se Pietro Albitone Nobile Pisano, e Capitano di gran stima non avesse raffrenato, e sospeso la risoluzio-

Comes indignatus abstinuit pugna. Nostri gloriae avidi castella admovent urbi veteri, quam fortiter adoriuntur; et quamvis ter repulsi fuerint, acrius tamen pugnabant. Interim Hugo Vicecomes paucis comitantibus urbem intrat, quem multum multitudo sequuta Mauros sternit perimitque. Alia ex parte Francardus peditum vexillifer stragem accumulat: Barbari vero in tertiam urbem diffugiunt; Iudaei autem, quorum multitudo magna civitatem colebat (1) Raymundo Comiti se dedunt. In hac civitate (2) Pisani captivos fratres (3) invenerunt, quos summo gaudio complexibus exceperunt: deinde in ter-

na. Entrò egli armato in mezzo di quei Signori raduoati, e disse: Non è ora più tempo di ragionar d' accordo, e di pace, ma d' attendere con ogni vigilanza a soggiogar Maiorica, avendone i nostri digià conquistato un terzo. Sarìa troppo grande la nostra vergogna lasciar la manifesta vittoria; seguiamo però con valore, che conseguiremo quanto desideriamo.

(1) In Cod. Magliab desunt verba *quorum multitudo* etc. usque ad *Raymundo* exclusive.

(2) Meus Cod. addit *seu gyro*

(3) Pro *fratres* meus Codex habet *Christianos multos*.

tiam civitatem, et murum (1) tendunt, ubi erat turris in angulo sita, quam Maurus admodum pugnax tutabatur. Hunc Alpheus a fenestra prodeuntem ense occupat, turrimque non sine summo labore capit, vexillumque in culmine ponit. Mauri fugam arripiunt, arcemque petunt, quae Regiam cingebat. Haec septem turribus eminebat, ab unoquoque latere praeruptis saxis muniebatur, et unda maris; ab aliis vero, fossa undecim passibus alta, quam mille viri tuebantur: hanc tamen Pisana potentia expugnavit (2), praeter duas turres, quarum una igni crematur, alteram quinque viri manu promptissimi defendebant. Hanc Guido Focatia invasit: quo acriter dimicante, alius scalis ascendit, in quem quinque viri convertuntur. Interim Hugo subintrat duobus aliis sequentibus, qui Barbaros occiderunt, quorum tres solus Hugo interfecit, spectante, et admirante exercitu. Rex autem afflictis, desperatisque rebus, fuga sibi

(1) Voces *et murum* desunt in Cod. Magllab.
(2) *Milites nostri viriliter expugnaverunt*: ita meus Codex pro *Pisana potentia expugnavit*.

consulere decrevit, navemque conscendit septem comitantibus, quam nostri e speculis intuentes cum Rege ceperunt (1). Alas autem Hispanus Rex no-

(1) Id virtus Dodi de Dodis praestitit, ut praeter ceteros asserit Roncionius Lib V *Hist Pisan MS* Hunc Regem, de quo Vernensis Lib VII. col 162 inquit,

Praebuit Italiae se se spectabile monstrum,

Pisis interfectum esse affirmant Historici Eius filius sacris aquis lustralibus ablutus, Lamberti nomen accepit, et postea Maioris Aedis Canonicus ab Archiepiscopo factus, a Pisanis, qui optimos eius mores bene noverant, in paternum Regnum, Summo annuente Pontifice, restitutus fuit Anonymus auctor Historiae Pisanae italice scriptae, quae adhuc inedita latet in Bibliotheca Maglíabechiana Class XXV Cod 32 fol 6 ad ann MXVI sic habet „ Il figlio di detto Re si battezzò in Duomo per mano del Vescovo, e fecenelo Canonico di Pisa, e lo chiamorno per nome Lamberto, e la Madre lo fece qui nutricare, e poi non essendo ancora ordinato di Ordine Sacro, a' preghi delli Pisani fu incoronato Re di Maiorica, e allora cominciò quella Terra aver li Re Cristiani „ Adeundi etiam Volaterranus Lib V. *Geographiae* fol 42 edit *Paris* MDXXVI; Auctor *Chronici Pisani* quod Clariss Mansius vulgavit T I *Miscellan Baluzian.* pag 450, Tarolus *Storia Pisana MS* Lib II Cap. 37, Troncius *Annali Pisani* pag 27, et Annales Camaldulenses Tom III Lib 25 sun

vus creatur, qui advertens actum esse de Regno, duos utres inflavit, quibus usus loco cymbae per mare fugam arripuit (1). Pisani gaudio exultantes

MCXIV. n. 33. Mater eius quoque sacro fonte abluta Pisis obiit, ut liquet ex insequenti Epitaphio, quod in Aedis Primatialis fronte adhuc legitur, et recitatur a Troncio, Vghellio, Puccinellio, Cocchio, Martinio, Matthaeio, Merronio, aliisque.

Regia me proles genuit, Pisae rapuerunt;
His ego cum nato bellica praeda fui
Maioricae Regnum tenui; nunc condita saxo
Quod cernis iaceo fine potita meo.
Quisquis es ergo tuae memor esto conditionis,
Atque pia pro me mente precare Deum.

Labascit igitur assertio Roncionii, dum Lib. V *Historiae Pisanae*, praeter filium adnumerat et Regis fratrem, et sororem. De Rege Burabe ita Troncius scribit *pag. 57. Di Burabe dicono i Manoscritti nostri, che anch'egli si battezzasse, e dove si morisse, non lo rinvengo.*

(1) Varoensis *Lib.* VII *col.* 160. *Lit.* B haec confirmat:

Haec timidus memorans binos sibi raperit utres,
Et vacuas inflans multo sufflamine pelles,
Intro commissis cohibet spiramina filis:
Sic Hispanus Alas pro navi pellibus usus
Per freta longa natat, credas Delphina natantem,
Aequore diffugium facit hic, sociosque reliquit.

castella Cassaro admovent, constructis etiam duobus pontibus, e quibus Cassarum oppugnabant, Barbaris se telis, et igni defendentibus; sed Deo Opt. Max. bene iuvante, Regia potiuntur tertio nonas Aprilis, edita miserabili strage (1). Praeda vero quam fuerit opulenta commemorare difficillimum videtur. Eam inter se diviserunt, magnisque muneribus Pisanam Ecclesiam ornarunt, et in primis portis ligneis, quae hodie in Templo Pisano cernuntur (2),

Quum Roncionius Libro V. utatur iisdem verbis, quibus Laurentius Varnensis, *Alante notando quasi Delfina si salvò alla riva di Spagna*, prae oculis habuisse videtur eiusdem Poema, quamvis erret in nomine, illud cuidam Henrico attribuens.

(1) Quinquaginta fere millia Maurorum in expugnatione Cassari, ubi Regia sita erat, occubuisse testentur Historici.

(2) Martinius in opere, cui titulus: *Theatrum Basilicae Pisanae* pag. 49 de duobus aeneis antiquis portis in lateribus eiusdem Aedis pontis verba faciens, ait: *Nonnulli Pisis illas constructas autumant, alii vero aliunde adductas fuisse arbitrantur, at ex Hierosolymis ne, an potius ex Insulis Balearibus incerti, licet illas perantiquo traditio ex his Insulis Pisas translatos, ac Ecclesiae Pisanae donatas confirmet.* Ast quum Auctor noster asserat fuisse *ligneas*, quid dicendum? Troncius pag. 56. aliique eas aeneas fuisse affirmant. Illas, quas

parvaque columna (1) supra portam maiorem stante. Ex manubiis etiam retulerunt duas columnas porphyreti-

nunc cernimus in fronte Basilicae aere fusili, opereque anaglyptico ad stuporem conflatas, suffectas fuisse aliis tribus portis aeneis incendio consumptis an. MXCVI, quas Bonannus celebris sculptor Pisanus anno iuxta Vasarium MCLXXX. elaboraverat, narrant Historici.

(1) Hanc parvam columnam adhuc extare in fronte Maioris Aedis affirmat Clariss. Alexander Da Morrona in opere, cui titulus: *Pisa illustrata* T. I pag 14. Contra Tronci us pag. 56 „ Alla Chiesa Cattedrale di Pisa donorono una Colonna di porfido la quale fu posta nel ballatoio sopra la porta grande di detta Chiesa, á perpetua memoria dell' ottenuta vittoria, la quale io ho veduta in detto luogo, e poi levata, e riposta nella casa dell' Opera per collocarla in Chiesa al canto sinistro della Tribuna incontro ad un' altra simile dal canto destro, dove sta sopra l' Angelo di bronzo, che porta il Candelabro per il Cero Pasquale. „ Quae fuerint ceterae manubiae e Pisanis victoribus Pisas illatae, et Aedi huic magnificentissimae dono datae, ignoratur. Vasarius ait. „ Fu questo Tempio ornato dai Pisani d' infinite spoglie condotte per mare, essendo eglino nel colmo di loro grandezza, da ben lontanissimi luoghi. „ Hac in re consulendi sunt Claris. Franciscus Masius Pisanus, et pereruditus Laurentius Cantinius, qui eodem tempore, anno scilicet MDCCXCVII eiusdem tituli opus: *Della Navigazione, e Commercio della Rep. Pisana*, ille quidem Pisis absolute, hic vero Floren-

cas, quas postea Florentinis dono dedere, beneficio servatae urbis contra Lucenses, quas hodie prae foribus Divi Ioannis Florentiae visuntur (1). Verentes autem, ne in bello defuncti triumphi gaudia turbarent, eos Massiliam detulerunt, quos elogio, et tumulo honorarunt, qui adhuc exstat (2). Po-

tiae adhuc imperfecte, typis tradiderunt. Hoc erat in votis Claris Tiraboschio, qui T. XL. *Diarii Litterarii*, pag. 314 ait: „ speriamo, che una dissertazione sul Commercio degli antichi Pisani compirà il bel quadro delle glorie di quella famosa Città, la quale in tal modo sarà stata in tutte quattro le parti, della Letteratura, delle Belle Arti, della Guerra, e del Commercio felicemente illustrata „

(1) De duobus hisce columnis, et de alia superius memorata ita scribit Baldinuccius, *Decade III. Part. II. Saecul. IV.* pag. 198: „ I Pisani l'anno MCVII (MCXIV) recarono di Maiorica dopo la presa de' Saraceni insieme con le due Colonne di porfido, che poi mandarono ai Fiorentini per aver guardata lor terra, una Colonna piccola, quale con credula semplicità dicevano gli antichi, che chiunque la vedeva in quel giorno non poteva esser tradito „

(2) Nimirum in Aede S. Victoris.

Verbi Incarnati de Virgine mille peractis,
Annis post centum bis septem connumeratis,
Vincere Maioricas Christi famulis inimicas

stremo, Rege interfecto, Reginam cum parvo filio Pisas in triumphum duxere (1): filius autem sacro fonte ablu-

Tentant Pisani Maumeti regna profani.
Mane recidantur multi, tamen hi socientur
Angelicae turbae, coelique locantur in urbe.
Terra destructa, Classis redit aequore ducta
Primum ope divina, simul et victrice carina.
O pia victorum bonitas! defuncta suorum
Corpora Classe gerunt, Pisasque reducere quaerunt.
Sed simul adductus ne turbet gaudia luctus,
Coeli pro Christo tumulo clauduntur in isto.

„ Questo non bastò, ait Troncius pag. 56 ai Pisani: di più deliberarono di far fabbricare una Chiesa in Pisa con un Monastero congionto per condurvi i Monaci di S. Vittore (di Marsilia) acciò con i loro Sacrificii, et Orazioni suffragassero alle anime di quei defonti „ Ita fecerunt, et Sacra Aedes, quae aedificata fuit a fundamentis, ubi nunc est Arx, sub titulo erat S. Andreae in Kiozica.

(1) Factum hoc Dominicus Passignanius Pictor eleganter expressit in tabula, quae in Presbyterio Primatialis Aedis Pisanae visitur cum hac inscriptione:

Paschale II. P. M. Auctore Pisano Classe ccc Triremium comparata Petro Archiepiscopo Pisano Duce Baleares Insulas profligatis Saracenis in ditionem redigunt captaque Regia Coniuge ac filio praeclaram victoriam illustri pioque Triumpho exornant A. D. MCXV.

tu et C onicus factus, tandem in Re-
p m paternum dimittitur.

Inter Pisanos Cives qui prae ceteris se validissime, strenueque gesserunt, hi sunt. Gerardus, Ildebrandus, Rolandus, Herito, Henricus, Guintho, Lotharius, Dodos, Rodulphos, Lambertus, Robertieus, et alii de celebrioribus Pisanorum familiis, nempe de Dodis, de Lanfranchis, de Gualandis, de Caetanis, de Parlascio, de Gherardesca, de Tigrinis, et de Moriconis, quarum aliquae adhuc supersunt. In Historia Pisana apud Muratorium T VI col 169 habetur, quod *Pisani ultra quinquaginta Saracenorum millia occiderunt, et Christianos ibi captos per diver i tempora ipso die de carceribus liberaverant, qui ero inventi sunt triginta millia etc. sed quis enumer re posset dispendia, pericula, et mortalitatem, quam Pisani passi sunt? In ipso quippe itinere per XXVI menses steterunt, quod obliti sunt totaliter omnium copiosarum poenarum, ac dolorum; sed tandem tantam exaltationem victoriae reduxerunt.*

FINIS.

